

UM  
RUM  
E  
EINZIA  
UM



DIVITIARUM  
EVANGELICARUM  
FESTIVALIUM

*Disquisitio XII.*

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

*Respondente*

JOHANNE MARTINO CHURISIO

Caloviâ Lufato

IN FERIA II. PASCHATOS

*A. O. R. cl. l. c. III.*

---

HALLIS SAXONUM

*Prelo Hæredum Melchioris*

*Oelshlegell.*



VIRIS

*Clarissimis plurimum Reverendis Hu-  
manissimis.*

**DN. ABRAHAMO CHURISIO**  
Pastori in Großbossern fidelissimo  
Patrueli Honorando.

**DN. CASPARO RÖ-  
TINGIO** Pastori Finster-  
waldensium pientissi-  
mo.

Avunculis  
plurimum  
dilectissi-  
mis.

**DN. MARTINO RÖ-  
TINGIO** Pastori in  
Nechstorf industrio-  
sissimo.

*in grati animi tesseram*

Dicat Dedicat

**Respondens.**





ANALYSIS  
**EVANGELII**  
 IN FERIA II. PASCHATOS.

*Luc. 24, 1. v. 13. usq. ad 37.*

ANTELOGIUM.



*Eluti neuter Tobias an-  
 gelum peregrinationis comitem,  
 quatumvis confabulati & con-  
 versati cum eo, cognoscere potue-  
 runt antequam confectis omnibus pararet abi-  
 tum Tob. 12, 22. Ita fere idem reperimus in  
 Angelo magni fœderis Jesu Christo, uti docet  
 presens Evangelium.*

THESIS I.

**I**N quo partim Christus habetur ut co-  
 mes, partim ut hospes. Quatenus comes  
 tum de discipulis, ubi eorundem versus E-  
 maunta migratio v. 14. in quo præmittitur

X

atten-

attentionis particula: Et ecce. Ut observetur peculiare quippiam confirmans resurrectionem Domini: siquidem Christus eo ipso die saepius manifestare se voluit ut eo certior esset Resurrectio.

2. Tum exponitur ratione subjecti: Duo ex illis. Nempe ex discipulis Christi, quorum septuaginta erant, emissi ad predicandum Evangelium per Judaeam Luc. 10, 1. Neque enim fuerunt Apostoli, quia reversi dicuntur invenisse congregatos undecim Luc. 24, 33. Versu quidem apud Lucam 18. Cleophas unus appellatur, sed hoc loco indefinite ponitur. Et cum dicantur duo, exinde colligitur solitudinem esse vitandam & concordiam esse sectandam.

3. Ratione praedicati, in genere, absolute: Erant euntes. Id est, ibant dum discedebant Hierosolymis & relinquebant congregationem discipulorum, quasi desperantes de resurrectione, ut doloris etiam sentirent levamen.

4. In specie de circumstantiis tum temporis: In ipsa die. Nempe resurrectionis. Ac ut ex circumstantiis textus colligitur, horis factum est pomeridianis. Estque dies, quae apud nos resurrectionem ob Dominicam, Dominica dicitur

dicitur, uti habet Theophylact. in cap. 24.  
Lucæ.

5. Tum loci, cuius distantie notatio:  
In vicum distantem stadiis sexaginta ab Hi-  
erusalem. *Marcus quidem nominat agrum*  
Marc. 16, 12. *sed partim respicit via medium,*  
*partim quia pagi in sacris & alias dicuntur agri,*  
*quemadmodum etiam Syrus talem vocem ad-*  
*hibet, quæ pagum significat. Dicitur verò di-*  
*stare ab Hierosolymis sexaginta stadiis, ut sint*  
*fere duo milliaria Germanica, quia secundum*  
Plinium Lib. 2. c. 23. *hist natur. triginta sta-*  
*dia fere idem sunt ac 4000. passus qui faciunt*  
*milliare germanicum h. e. iter unius diei Sab-*  
*bati, quod est mille passuum secundum He-*  
ronimum quæst. 10. ad Algasiam.

6. Et appellatio: Cui nomen Emaus.  
*Qui vicus alius Ammaus, uti Josephus habet*  
lib. 4. de bell. Jud. cap. 1. *dictus, quamvis di-*  
*versus sit & rectius à munitione deducatur.*  
*Siquidem, 1. Maccab. 3, 4. exercitus Regis*  
*Syriae Iudeam expugnaturus consedissee circa*  
*Emaus dicitur. Ut discamus in miseriis &*  
*anxietatibus mutanda loca esse.*

7. Tū est eorū ab effectu confabulatio  
v. 14. *In quo effectū: Et ipsi loquebantur ad*  
*invicē, Hoc est, instituebant sermonē diligen-*

tem prout ὁμιλεῖν Act. 20, 21. & c. 24, 26. usurpatur. Vt discamus in itinere invicem confabulari & non furari, conversari familiariter & non prædari.

8. Et objectum : De omnibus, quæ contigerant. Siquidem instituerant familiarem de rebus cum Christo pridie gestis sermonem. Ambulabant, inquit Augustin. serm. 144. de Tempor. fabulantes & quasi mortuum dolentes, resurrexisse nescientes. Non credentes, ait Theophylact. in hunc locum. sed dubitantes & de rebus mirabilibus stupescentes. Vt discamus colloquia sacra instituere de rebus utilibus ut alij alios consolentur. 1. Thess. 4, 28. alij alios adhortentur & singuli singulos edificent. 1. Thess. 5, 11.

9. Respectu Christi est tum ejusdem associatio v. 25. In quo tempus generale : Et factum est cum loquerentur. Hoc est commentarentur, quemadmodum in precedenti versiculo habetur.

10. Tum speciale : Ac disputarent mutuis sermonibus. Vno defendente partes hasce, altero defendente partes contrarias, uti vocabulum Συζητεῖν Marc. 9, 10. Luc. 12, 28. usurpatur. Et Syrus expresse addit cum disputarent unus cum altero singulari studio de iis, quæ



qua contigerant. Ut discamus non tantum  
licitum esse, sed etiam utile invicem disputare.

11. Et eventus : Et ipse Jesus appro-  
pinquans ibat cum illis. Non quidem, uti  
ex sequentibus patet, in forma propria, sed in  
forma peregrini. Interim quia loquebantur  
de Christo, etiam Christus accessit & cum ipsis  
ambulavit. Ut discamus Christum nobis ad-  
esse, nec nos unquam deserere, uti Jacobo ad-  
fuit Gen. 28, 15. Simulq; ejus humanita-  
tem notemus, dum discipulos infirmos non ne-  
gligit, sed illis sese associat. Linum enim fu-  
migans non extinguit, sed spiritu oris sui ex-  
citat Es. 42, 3.

12. Et commentatio, cujus antece-  
dens est Christi ignoratio v. 16. In quo mo-  
dus positivè: At oculi illorum tenebantur.  
Dubio itaq; procul apparuit in forma viatoris  
sicuti paulo ante Marie Magdalene in horto  
in forma hortulani Joh. 11, 15. Abrahamo in  
forma convivatoris Gen. 18, 2. Jacobo in for-  
ma luctatoris Gen. 32, 24. Jobo in forma cru-  
delis Job. 30, 21. Davidi in forma percussoris  
Psalm. 32, 4. Cunctatoris. Psalm. 6, 4. Seccesso-  
ris, Psal. 10, 1. Repulsoris, Ps. 77, 8. In aliis enim  
habet Theophylactus, lineamentis, quia non  
ultra naturalibus motibus regebat corpus, sed

spiritualibus & supra naturam. Ut discamus glorificata corpora non esse subiecta inbecillitatibus naturalibus. Idq; factum 1. ut confessionē eliceret & ad sequentem informationem daret occasionem, ac inde ut subsequens revelatio tanto gratior esset; & 2. ut adimpleretur typus Iosephi, qui etiam non statim agnitus. Ut discamus Christum sub forma peregrini Gen. 49, 9. Ebr. 13, 14. Neq; enim semper videtur. Nusquam certè deest, ubi longe est.

13. Modus & negatus effectus : Ut non agnoscerent eum. Secundum rei veritatem habebat aliam formam. Unde Gregorius M. Hom. 23. in Evang. inquit : Convenienter ei speciem, quam recognoscerent non ostendit hoc agens Dominus foris in oculis corporis, q; apud ipsos agebatur intus in oculis cordis. Ipsi namq; apud semetipsos & amabant & dubitabant. Eis autem Dominus foris & presens aderat, & quis esset non ostenderat. De se ergo loquentibus presentiam exhibuit, sed dubitantibus de se cognitionis suae speciem abscondit.

14. Et interrogatio v. 17. In quo tum de colloquii materia : Ait autem ad illos : Qui sunt sermones hi, quos loquimini unus ad alterum euntes? Interrogat non quod ignarus esset, sed ut addita animi discipulo-

rum sensa protrabat & propriam eorundem confessionem eliciat. Querit, inquit Augustin. sermon. 114. ab eis, quid inter se loquerentur, ut quod ipse sciebat, illi faterentur. Vt discam quod qua ratione tristes queamus consolari. Cum volumus, inquit Gregor. M. lib. 3. c. 10. ex pass. moral. afflictum quempiam à mœrore suspendere, ordo consolationis est ut studeamus prius medendo ei quod luctui concordare & in causam doloris inquirere.

15. Tū de tristis faciei forma: Et estis tristes? Seu quod grecus habet, vultu tetrico & turbato. Qui enim miseri & mœsti illi non explanant frontem, sed potius ex eadem colligitur certissimum indicium tristitia, uti habetur Proverb. 15. 15.

16. Consequens est tum Cleophæ exprobratio v. 18. Cujus efficiens causa: Respondens autem unus, cui nomen Cleophas dixit ad eum, Atque sic expresse nominatur ille unus, cuius nomen idem est quod κλειφιλ & uti Ἀλέξας pro Ἀλέξανδρος. amans gloria, quemadmodum monet Scaliger in animadvers. Euseb. Fuitque uti habet Euseb. lib. 3. hist. Eccles. c. 11. ex Egesippo. frater Iosephi sponsi Mariae virginis habuitque Mariam Mariæ Deiparæ sororem. unde & Maria

Cleopha dicta Joh. 19, 15. Sicq; fuit agnatus ipsius Christi duplici ratione. Vt discamus eos veram gloriam sectari, qui de Christo loquuntur. Alterius quidem nomen non additur: unde quidam suspicantur fuisse Nathanaelem, uti habet Epiphanius hæres. 13. contra Saturnum. Verum quia Spiritus S. nomen eius tacuit & nos id taceamus, nec curiose in id, cum de fide non sit, inquiramus. Vt discamus supra scripturam non esse sapiendum.

17. Tum Materia, per interrogationem, à causa remota: Tu solus peregrinaris Hierosolymis? Id est hospes ne es & modo accedis, aut itane solitarius es & Syrus habet vocem, qua extraneum significat uti usurpatur Gen. 47, 7.

18. Et causa proxima, inscitia: Neq; novisti quæ facta sunt illic his diebus? Quasi dicat, anne tu ignoras, quæ nemo nescit quantum vis peregrinus, cum publicè in conspectu omnium talia sint gesta, quæ pervagato civitatis totius sermone & voce versantur. Vt discamus interrogantibus respondere humaniter, uti monet etiam Apostolus Col. 3, 12. Gal. 5, 22.

19. Et sermonicatio, per communicationem, summam est personæ denotatio y. 19. In quo inquisitio: Et dixit iis, quæ?  
Id est

Id est adhuc dum dissimulat rem sibi notissimã  
 ne pressius cogitationes ipsorum exprimat. Ut  
 discamus non statim omnia propalare, preser-  
 tim apud auditores & discipulos, sed explorare.

20. Et informatio quoad subjectum:  
 Quæ de Jesu Nazareno. Atq; ita personam  
 definit summamq; repetit, in qua totius collo-  
 quii versatur cardo. Quiq; Iesus dictus ab an-  
 gelo Matth. 1. 21. in circumcissione Luc. 2, 21.  
 Nazareus verò Matth. 2. v. ult. Joh. 1, 45.  
 Quia Nazarethæ conceptus Luc. 1, 26. & e-  
 ducatus Luc. 4, 16. Non tantum ex opinione  
 vulgi, quia etiam ex rei veritate ita vocari po-  
 tuit & debuit.

21. Quoad adjunctum tum ab offi-  
 cio: Qui fuit vir Propheta. Ita omninò ha-  
 bebatur Matth. 26, 14. Luc. 7, 16. Quia verò  
 addunt vocem vir, uti etiam additur. Jud. 6,  
 8. arbitrantur propter crucis & mortis inter-  
 ventu non pro communi, sed pro insigni poni.  
 Ut discamus de mortuis non nisi benè loqui,  
 verumque non esse supprimendum, sed potius  
 profitendum.

22. Et ab effectu absolutè respectu fa-  
 ctorum: Potens in opere. Nempe in mi-  
 raculis & aliis vite gestis, uti habetur Joh. 3, 2.  
 Act. 2, 22. Etiam potest vite innocentia intel-

ligi, de qua ipse Salvator Joh. 8.46. *Vt discamus* quod nullus sermo doctoris firmus sit nisi prius docens factorem se declaree secundum Theophylactum in hæc verba.

23. Respectu dictorum: Et sermone. *Quia non docebat subtiles questiones, sed i. vivum & efficax Dei verbum* Ebr. 4, 12. 2. *verbis emphaticis ac virute plenis* 3. *Addebat robur ut corda hominum penetrarent. Neq; enim docebat, sicut scriba Matth. 7, 27, sed tanquam potentiam habens.* *Ut discamus non solum verbi verba debere nobis esse documenta, sed etiã verbi facta debere esse exempla.* Per quod vero, inquit Chrysostomus *factus es Christianus si opera, que non sunt Christiani, diligebas* hom. 41. in Matth. *Atq; utinam tam multi benefacerent,* habet Lactantius lib. 4. instit. c. 24. *ac loquuntur.*

24. Comparatè à testimonio: *Coram Deo & omni populo.* *Non solum ergo hominibus placuit, sed etiam ipsi Deo gratus fuit,* quem a modum etiam Luc. 1, 32. *dicitur profecisse non apparenter tantum, sed in rei veritate* Joh. 3, 21. *Idq; fit quando mandato Dei satis facimus, uti summus sacerdos dicitur facere coram Domino* Exod. 22, 30. *Vt discamus ita nostra tractare quò non solum hominibus, sed etiam Deo ea probemus.*

25. Explicatim quoad passionē. ejusdem est crucifixio. v. 20. Cujus efficiens causa quoad Ecclesiasticos: Quomodo tradiderint eum summi sacerdotes. *Vbi in Synopsi quasi historiam Passionis refert, simulq̄ modum declarat quod traditus fuerit per Ecclesiasticos tanquam per summos Sacerdotes. Ut discamus etiam hos errare posse si declinent à verbi præscripto & Regula.*

26. Et quoad Politicos: Et Principes. *Per quos intelliguntur proceres Hierosolymitani dum Pilato tradiderunt crucifigendum. Atque ita hanc obscure innocentiam Christi predicat; Pontifices autem & Principes iniustitie & crudelitatis insimulat.*

27. Et forma; In damnationem mortis & crucifixerunt eum. *Supplicio scilicet omnium crudelissimo Deut. 21. v. ult. Quae quomodo facta, constat ex passionis historia. Ut discamus summam mundi ingratitude: Venerat enim Christus in mundum, ut salvaret Joh. 3. 17. at mundus eum damnavit.*

28. Et de ipso eorum opinio v. 21. In quo eventus; Nos autem sperabamus illum esse redempturum Israel. *Nempe in Politicis à gentilibus Romanis. Inde Theophylactus in h. l. expectarunt Christum vulgares & mi-*

nus exercitati Salvatorem & redemptorem à malis, quæ eis imminebant & à iugo servitutis, sperabantq; ipsum regnaturum ut regem terrenum: quia habebant Messiam promissum pro temporali rege. Ut discamus fidei imbecillitatem. Noverant quidem esse Redemptorem, sed non rectè intellexerant. Ergo qui legit attendat.

29. Et tempus: Sed & super omnia hæc tertia ista dies est ex qua facta sunt. Ostendit ita fontem incredulitatis & causam remotam: Predixit enim Christus se tertia die resurrecturum, quare cum tertius jam adesset, neque resuscitatum conspexissent ex eo concludunt quod expectatio sit frustranea. Cumq; dicat: super hæc omnia, intelligunt non solum hoc nos contristat quod tam miserabili morte perierit, sed maxime quod tertia die secundum promissionem suam non resurrexerit: quamvis tertius dies nondum fuerat præterlapsus. Ideoq; frustra colligitur promissum resurrectionis non esse adimpletum.

30. Quoad exaltationem respectu mulierum, ubi earundem est perterrefactio v. 22. In quo subjectum: Sed & mulieres quædam ex nobis. Quemadmodum earum in historia resurrectionis fit mentio, potissimum



*mum quia & Cleophae Maria interfuerat  
Matth. 28, 1. Marc. 16, 1. Quae merito nostra-  
tes vocantur ex numero scilicet fidelium.*

31. Et praedictum, ubi effectus: ter-  
ruerunt nos. Hoc est, quasi de statu mentis  
dejecerunt & obstupescerunt. Hac enim vis  
est verbi ἐξέστησαν uti patet Marc. 16, 8. & 2.  
Corinth. 5, 13. Vt discamus saepe ex iis, quae no-  
bis solatium ferre debent, terrorem evenire.  
Sic Petrus in consolatione plenissima piscium  
captura terretur. Luc. 5, 9.

32. Et tempus: Quae summo diluculo  
pervenerunt ad monumentum: Constat  
enim ex historia de prima manifestatio-  
ne resurrectionis Christi quod summo mane,  
cum adhuc dum essent tenebrae, mulieres illae,  
quarum mentionem hic Cleophas facit, vene-  
rint ad sepulchrum, qualis phrasim & invenitur  
Joh. 20, 1.

32. Et earundem relatio v. 23. In quo  
negativè: Et non invenerunt corpus ejus.  
Quia resurrexerat antequam ipse advenerant  
videlicet ut plerorumq; est sententia statim post  
mediam noctem, ideo invenire non poterant.

33. Affirmativè tum de angelorum vi-  
sione: Et venerunt dicentes se visionem  
angelorū vidisse, Vti habet. Marc. 16, 4. Luc.

24,5. *Qui apparuerant, Ut discamus angelos apparuisse quò testarentur Christi resurrectionem.*

34. *Et tum de relatione: Qui dicunt eum vivere. Matth. 28,6. Marc. 16,6. Luc. 24,6. Ministri enim sunt DEI & nuncij, uti in Nativitate, ita etiam in Resurrectione.*

35. *Respectu viroꝝ, quorum exploratio. v. 25. In quo ab effectu abitus. Et abierunt quidam, qui cum nobis ad monumentum. Nempe Petrus & Iohannes Luc. 24,12. Joh. 20,3. & seq.*

36. *Et eventus respectu relationis: Et invenerunt ita, sicut & mulieres dixerant. Nimirum monumentum esse vacuum, sudaria inibi jacere, Luc. 24,12. Joh. 20,7.8. Neq; enim solis mulieribus innotuit, sed etiam discipulis.*

37. *Respectu corporis: Et ipsum non viderunt. Unde concludere voluerunt. Ergo frustranea est omnis spes de ipsiq; resurrectione. Licet enim angeli retulerint, promissionē de resurrectione habuerint, tamē credere noluerunt eo q; Dominū ipsū non vidissent. Omnino ergo, quemadmodum Theophylactus loquitur, si considerentur sermones, humani sunt & magnam dubitationem habent & hominum dubitantium*

*tantum & perplexorum quid agant propter resurrectionis miraculum ignorantium.*

38. Sic Narratio discipulorum; Christi proponitur castigatio v. 25. In quo efficiens causa: Et ipse dixit ad eos. *Quem adhuc dum habebant pro comite & viatore, qui tamen ut cœlestis Medicus morbum tollere nititur.*

39. Et forma, quoad compellationem O stulti & tardi corde. *Quoniam enim mente humano more affecti erant, multaq; dubitatione laborabant stultos appellat propter cordis affectus. Sic Paulus Galatas suos stultos & amentes nominat. Gal. 3, 1. Neque enim omnis vehementia in correctione est prohibita cum non fiat accerbo livoris, sed benevolenti affectu amoris: Ille est eorum, qui gehenna ignis tenentur Matth. 25, 2. hic eorum, qui ingenuæ & aperte nature habentur. Prov. 27, 5. Miscenda ergo est lenitas cum severitate, habet Gregorius M. lib. 20. exp. moral. c. 8. faciendumq; quoddam ex utroque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur, neque nimia benignitate solvantur. Habet enim & amor plagas suas, quæ dulciores sunt cum amarior inferuntur. Dulcior enim est religiosa castigatio quam blanda remissio, ait Ambro-*

Ambro-

Ambrosius serm. 84. *Et qui non corrigit, refecanda committit*, habet Gregorius Lib. 7. epist. 6.

40. Et ratio: d. a credendum ea omnia, quæ locuti sunt Prophetæ. *Nimirum de Christi morte & resurrectione: super fundamentum enim Prophetarum sumus constructi Eph. 2, 20. Ut discamus quæ de Christo sunt credenda, ea omnia prædicta esse apud Prophetas.*

41. Et ejusdem informatio generaliter & summam, est redemptionis necessariæ attestatio v. 26. In quo per interrogationem de statu exinanitionis: *Nonne hæc oportuit pati Christum? Per hæc intelligit ea omnia quæ ipsi in passione contigerant. Quæ ipsi arbitrabantur contingere, sed Christus huic opinioni opponit oportuit: nimirum propter cælestis Patris ordinationem, propter generis humani redemptionem, & propter Scripturarum impletionem: non quidem ex necessitate absoluta & ex coactione, sed ex necessitate consequentiæ. Quia voluntariè passus est, Psalm. 40, 7. Ebr. 10, 7. Joh. 10, 13. Ut discamus quicquid pateris cogita quod prior passus sit Christus, habet Augustin. in Pl. 60. Nos oportet conformes autem fieri imagini ejus Rom. 8, 29. & oportet pati omnes, qui in Christo piè vivere volunt. 2. Tim. 3, 12.*

42. De

42. De statu exaltationis: Et intrare in gloriam suam. *Ad quam per descensum ad inferos, resurrectionem à mortuis, ascensum ad cœlos & sessionem ad dextram Patris pervenit. Oportuit ergo pati, quod est ignominia, ait Theophylactus, & intrare in gloriam suam, quod est gloria. Et hanc DEUS legem servat, ut humilitas gloriam precedat Prov. 15. v. ult. Ut discamus per multas tribulationes nos ingredi in regnum cœlorum Act. 14, 22. Et si compatimur, conregnabimus 2. Tm. 2, 12. Oportet igitur & nos cruci in hac vita subiectos esse propter divinam ordinationem, propter nostram cum Christo conformationem.*

43. Specialiter & sigillatim adhibita distributione specierum, passionis, crucis & resurrectionis explicatio. v. 27. In quorum de testimonio Mosaico: Exortus est à Mose. *A prima scilicet promissione Evangelica, de semine mulieris contrituro caput serpentis. Ut discamus Moysen non esse exemplis relegandum, sed vel maximè retinendum, uti constat quod Gen. 13, 15. habetur de Christo intelligendum Rom. 5, 18. Matth. 4, 1. Col. 2, 14. Sic de semine Abruha habetur Gen. 12, 3. de Christo exponitur Gal. 3, 8. Typus*  
Υ
totius

totius sacerdotii Levitici Ebr. 7. 8. 9. per totum.

44. De testimonio Prophetico : Et omnibus Prophetis. Ut harmoniam Scripturarum ostendat, & omnia vaticinia adimpleta esse probet: siquidem omnes Prophetae de ipso testantur Act. 10, 43. Non quod integros libros proposuerit, sed quod potiora pleraque V. Testamenti vaticinia habuerit. Ut discamus sermonem Propheticum aestimare, tanquam firmissimum 2. Petr. 1, 19. ut legamus Scripturam S. & unumquodque eorum quae demonstrantur ex scripturis rursus ex scripturis confirmetur, habet Clem. Alexandr. Lib. 7. Stromatum.

45. Et de scopo quoad modum : Interpretabatur illis ex omnibus Scripturis. Hoc est, Interpretatione sua explicavit, quod quam eruditè & divinè factum ex sequentibus patebit. Ut discamus non sufficere Scripturam allegare, sed etiam rectè interpretari.

46. Quoad objectum : Quæ de Ipso. Scopus enim universæ doctrinae est Iesus Christus. Vel ergo nega Christum, vel expunge Scripturas, vel servus Scripturarum obedi Scripturis, habet Chrysostomus Hom. de Spir. S.

47. Ut

47. Ut hospes consideratur quoad  
 occasionem tum extra diversorium, & est  
 ad vicum appropinquatio v. 28. In quo  
 locus: Et appropinquaverunt ad vicum  
 quo ibant. *Inter colloquendum dum sermo-  
 nes invicem cadunt veniunt ad illum vicum  
 nempe Emanna: forsan etiam citius quàm  
 sperabant. Ut discamus de piis rebus colloqui:  
 tempus enim ita facile fallitur.*

48. Et modus: Et ipse se finxit longius  
 ire. *Sive præferebat seu affectabat externis  
 gestibus, quemadmodum prius ipsis videbatur  
 peregrinus, ita h. l. se longius profecturum simu-  
 lat. Inde Gregorius hom. 23. in Evang.  
 Quia in ipsorum adhuc cordibus peregrinus  
 erat à fide, se ire longius finxit. Nil ergo simplex  
 veritas per duplicitatem fecit, sed talem se eis  
 exhibuit in corpore, qualis erat apud illos in  
 mente. Hoc enim foris egit Dominus in ocu-  
 lis corporis quod apud illos agebatur in oculis  
 cordis. Neq; enim omne quod fingimus men-  
 dacium est, habet Augustin. Lib. de mend.  
 c. 13. Est simulatio cautela doctrina & offi-  
 ciosa seu informatoria, nec deceptionis & insi-  
 diosa, seu deceptoria. Ut discamus Chri-  
 stum sepe simulare, potissimum sub cruce ire  
 longius.*

49. Et

49. Et discipulorum rogatio v. 29. In quo antecedens modus: Er coegerunt illum. Sive adegerunt, quemadmodum hoc verbo utitur Lucas de Lydia Act. 16, 15. Non per violentiam, quod incivile fuisset, sed per preces. Unde Simon de Cassia: Cogitur piis precibus, de votis orationibus & humilibus operationibus. Ut discamus equè sedulo instare & quemadmodum Tertullianus loquitur in Apol. advers. gent. c. 29. Coite in cœtum & aggregationem ut Deum quasi manufacta precationibus ambiamus orantes, hæc vis Deo grata est.

50. Et affatus per propositionem: Dicentes: mane nobiscum. Seu ut Syrus habet quiesce. Sunt enim tria genera hominum: primi ad quod Iesus nuquam venit per gratiam, secundum ad quos venit, sed non manet, sicut medicus cum egro agit ad sanandam infirmitatem. Et dum Dominum vocant jam magnum esse fatentur. Ut discamus equè rogare verbis & factis. Opere enim est demonstranda dilectio ne sit infructuosa nominis appellatio, habet Augustinus tractat. 75. in Johan.

51. Et ratio: Quoniam ad vesperascit, & inclinata est dies, Sumta ab adjuncta temporis



poris circumstantia. Quia ingruente vespera  
facere periculum quis incidit. Vt aequè oremus  
quum sit vespera Ecclesia, Politia, Oeconomia  
quo nobiscum maneat, ne projiciamur in tem-  
pore senectutis, Pl. 71, 9.

52. Et eventus: Et intravit ut mane-  
ret cum eis. Exoratus precibus passus est  
se ab illis retineri. Vbi permanere idem quod  
pernoctare significat, quemadmodum Jud.  
19, 9. Vt discamus quanta sit efficacia pre-  
cum. Oremus itaq; & nos, tunc volunta-  
tem timentium faciet Dominus Pl. 145, 19.

53. In diversorio est cibi administra-  
tio v. 30. In quo tempus: Et factum est  
in discumbere iptum cum illis. Vbi verbum  
κατακλίειν respicit ad veterum accumben-  
di mensæ morem 1. Sam. 16, 16. Istis enim  
temporibus habebant mensas rotundas, in qua-  
rum circuitu jacebant in lectis sinistra in nixi  
cibum capientes Luc. 14, 8.

54. Et effectus quoad antecedens:  
Accipiens panem benedixit. Ad legitimè  
& salubriter edendum preparavit. Vt disca-  
mus aequè quando cibum capimus orare. Inde  
Tertul. in Apolog. adv. gent. c. 39. inquit:  
Recte non prius discumbitur quam oratio ad  
Deum prægustetur secundum præceptum di-  
vinum, Deut. 8, 10. 1. Tim. 4, 3. 55. Con.

55. Consequens: Et frangens porrigebat illis. Non tam per peculiarem modum, uti Lyra arbitratur, quam quia grandior orat. Ideoq; h. l. non agitur de Coena Eucharistica administratione, sed de vulgari cibi sumptione, siquidem in miraculis eadem voces reperiuntur. Ioh. 6, 11. & Matth. 15, 36.

56. Et demonstratio, ubi de Christo est ejusdem manifestatio v. 31. In quo effectus quoad modum: Et eorum aperti sunt oculi. Ad cognitionem, non ad visionem, inquit Augustin. serm. 146. Tenebantur itaq; antea quia habebat corpus glorificatum, quod non videtur nisi sese revelet ex 1. Cor. 15, 44.

57. Quoad eventum, respectu discipulorum: Et cognoverunt eum, quod fuerit Iesus. Non de sensilibus oculis, sed de sensu mentali dictum vult, ait Lyra.

38. Respectu Christi: Et inconspicuis factus est. Ostendens, uti ait Lyra quod habeat corpus gloriosum, quod subito potest disparere per donum agilitatis, dum spirituale. 1. Cor. 5, 44. dum κισίγγελον Matth. 22, 30. Subtrahatur inquit Glossa, carnalibus oculis species infirmitatis ut mentibus inciperet apparere gloria Resurrectionis. Sic etiam in statu exinanitionis per medios Nazarethanos

tran-

transire potuit Luc. 4. 30. ex templo exire Joh. 8. 59. Et quod Mago licet, inquit Ambros. de Apollonio, id Domino non liceret? Vt discamus vicissitudines, modo presens Christus, modo sese subducit. Ergo se sustulit Christus non visibiliter & motu successivo, sed spiritua- liter ut talia corpora solent per divinam di- spensationem.

59. Respectu discipulorum est partim ingenua attestatio v. 32. In quo per inter- rogationem summam quoad effectum: Et dixerunt inter se: nonne cor nostrum ar- debat? Quasi dicerent verè Dominus erat isto loco & nos nesciebamus. Ardebat nimirum ignis devotionis quando sine ullo tadio per tri- borium & ultra audiebant; ignis exultationis quando scripturas intelligebant: & dilectionis, quando ut maneret, rogabant. Vt discamus Evangelium predicatum non esse literam mortuam, sed lucernam habentem potentiam illuminativam 2. Cor. 4. 4. calefactivam Ephes. 2. 5. & Purgativam, Jerem. 23. 29.

60. Et causa procreans, ubi tempore Dum loqueretur nobiscum in via. Verba enim Dei sunt sicut ignis Ps. 119. 149. & Jerem. 23. v. 29. Antea cor ipsorum frigeat, sed modò

dum loquitur illud ardebat. Inde Gregor. M. hom. 30. in Evang. Mens in supremo desiderio anxia audire ei libet precepta cœlestia, eum quot mandatis instruitur tot quasi facibus inflammatur. Ergo ille audiendus & cum illo colloquendum.

61. Et modus: Et aperiret nobis Scripturas. Ut doctor erudita lingua, ut qui ipse misit Spiritum S. in linguis igneis Act. 2, 3. Inde ille est magister nobis etiam commendatus Matth. 3, 11. Extra illū liber Scripturae signatus Es. 29, 11. ille habet clavem David Apoc. 2, 7.

62. Partim divulgatio, ubi præmittitur Hierosolymam remeatio v. 33. In quo circumstantia temporis; Et surgentes eadem hora. Sive eodem momento, quo Christus est conspectu suorum in mensa sese subduxerat. Per concionem quippe Christi excitatus erat spiritualis ignis in cordibus eorum: Ergo illos impulit de subito, uti Filii Dei spiritu Dei impelluntur Rom. 9, 14.

63. Et loci: Regressi sunt Hierosolymam. Iter duorum miliarium ubi cōfecerant, inclinatus erat ad vesperam dies, sed nihil horum curantes Hierosolymam reveruntur.

64. Et objecta, quoad discipulos: Et in venerunt congregatos undecim. Quia ita dice.

dicel antur, licet Iudas sese suspendit, & Thomas non interfuerit Ioh. 20, 24. Quia generale fuit & usitatum Apostolorum nomen, ut vocarentur undecim cap. 20, v. 24. uti & Paulus 1. Thessal. 5, 5. & Marc. 16, 17.

65. Quoad alios: Et eos qui cum illis erant. Nempe discipuli & credentes reliqui nec enim soli Apostoli fuerunt.

66. Exponitur tum presentium asseveratio v. 34. In quo de facto: Dicentes, surrexit Dominus verè. Profunda quidem de nocte ad discipulos venerunt, illi tamen inter se adhuc de Christo collocti sunt. Ut discamus fructum resurrectionis Dominica esse lætitiã & hoc asseveremus: Quia si ipse vivit, & nos vivemus Joh. 14, 19. Nec contrariantur ista, quæ habentur apud Marcum c. 16, v. 13. ubi dicitur: neq; his crediderunt, quia hoc ipsum intelligendum est non de omnibus, sed de quibusdam, & primum quidem antequam Christus veniret, & manus & pedes suos præberet, ut & ipse Lucas habet c. 24, 41. Unde & duriciã ipsorum exprobrat Marc. 16, 14.

67. Et de testimonio: Et apparuit Simoni. De quo Dominus potissimum sollicitus ut incertum erigeret & animam ob lapsus gravitatem  
dubi-

*dubitanti adderet. Ut discamus lapsos curare infirmos in fide suscipere Rom. 14. 1.*

68. Tum venientiū narratio v. 35. In quo in genere effectum: Et illi narrabant Hoc est ordine recensebant, uti sumitur Act. 10, 8. c. 15, 12. quemadmodum etiam de ipso Christo legitur Joh. 1, 8. Hoc enim est piorum officium, ut mutuis sermonibus sese erigant.

69. Et in specie objectum, respectu loci, Quæ gesta erant in via. Quomodo scilicet in forma viatoris primum accesserit quos sermones invicem de ipso contulerint, quam accuratè ipsis Scripturam Propheticam exposuerit. Ut discamus non occultare, sed Dei miracula manifestare & narrare.

70. Respectu modi: Et quomodo agnitus ipsis in fractione panis. Sive cum frangeret panem, ut tempus potius innuatur quam medium. Unde Syrus vertit, cum frangeret panem. Ideoq; cœna hic non fuit celebrata Eucharistica dum contrariatur institutio Matth. 26. 26. Apostolica repetitio I. Cor. 11. 12.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

**NOTE.**

**C**hristus apparuit duobus discipulis] considera Christum apparere sæpe in habitu peregrino, ut credas tibi pia loquen-

ti.


si vel agenti eum adesse, licet non agnoscas; ut discas peregrinum te esse in terra, cujus conversatio sit in cælo.

## II.

**R**Edarguit eorum incredulitatem] Considera hanc reprehensionem non ex ira, sed ex amore profectam; ut discas reprehendi & amari.

## III.

**D**Um Jesus vellet longius ire, coegerunt eum manere secum) Considera finxisse Christum ut probaret amorem discipulorum, & plus accenderet desiderium se redimenti; ut discas pauperes & peregrinos rogare & etiam coegere quo Charitatis officium acceptent.



## CASUS I.

An simulare licitum?

**V**idetur: 1. Quia dicit Christus simulavit sese viatorem Luc. 24. 15. Magdalena in forma olitoris vidit Christum Joh. 20, 15.

2. Etiam Abrahamo in forma convivatoris, Gen. 18, 2. & 19, 2. sic fingebat longius ire, Luc. 24, 28.

3. *Jura in c. Ne quis c. 2. q. 2. glossa Part. in l. 2. C. si servus: ubi dicitur quod eligendus in judicem non teneatur propriam allegare turpitudinem.* Menochius lib. 1. cons. 100. n. 224.

Non videtur 1. *Quia sermo vester sit ita vel non Matth. 5, 37. Eph. 4, 25. Loquimini veritatem proximo.*

2. *Omne mendacium 22. q. 2. & l. 31. §. 3. ff. de interrog. puniendum mendacium in rem ff. de rei vindicat.*

3. *Obligatur unusquisque ad veritatem & personaliter & realiter const. Leonis 19.*

*Ad contraria 1. Fall. secundum quid: Aliud est simulare & negare veritatem, aliud simulare personam sine levitate.*

*Ad 2. Abrahamo apparuit prout voluit Deus, ut qui alias plane nullam habet: aliud igitur ex libere assumere personam ad informationem, aliud ad deceptionem, sic & Jacob obedivit matri ista suadenti non patri erronea querenti. Responso enim fieri debet secundum interrogationem l. de ætate § quod ais 12. ff. de interrogationibus.*



*Ad 3. Jura loquuntur si ex malitia & cum peccato fiat: alias utilis est simulatio.*  
22. q. 2. c. utilis.

~~~~~

## C A S U S II.

An peregrinationes devotionis causa  
licitæ?

*Videtur 1. Quia univrsus populus I-  
sraeliticus ter in anno invisere tenebatur  
Hierosolymam adorare Act. 8, 27.*

*2. 1. Pet. 4. 12. Nolite peregrinam in  
fervore: Ergo fervor prohibetur, peregri-  
natio jubetur.*

*3. Hic Emaunt a profecti Luc. 24, 13.*

*4. Chrysoftomus testatur in epi-  
stola ad Marcellam: Veniunt, inquit,  
Galli, Angli, occidentem deserunt solem  
ut hunc, intelligit Palaestinam, celebrem  
requirant locum.*

*5. Jura c. si quis Romam petat 24.  
q. 8. quarum conventus si quis contem-  
pserit per superbiam anathema sit. c. co-  
dem 30. dist. uti & l. omnes peregrini  
testatur quod Imperator peregrinos tuea-  
tur C. c. ommun. de successoribus.*

*Pena*

*Pœna est Ecclesiastica quando presbyter revelat confessionem sibi commissam deponiturq; jure antiquo & omnibus diebus vitæ suæ ignominosus peregrinari cogebatur c. Sacerdos de pœnis dist. 6.*

*Contra 1. Nullibi mandata. Ergo non sunt pars cultus divini.*

*2. Deus ubicunq; invocatur, ibi gratia sua præsens est Joh. 4, 23. Es. 43, 2. Jerem. 23, 23. Matt. 18, 20 28. v. ult Matt. 24, 23.*

*3. Fiunt cum vitæ periculo & rei familiaris dispendio, unde intermittendæ.*

*4. Sunt supervacanea, frustranea & otiose.*

*Ad contraria 1. Fall. causa. Deus illas mandavit, quia non licebat alibi offerre sacrificia quàm Hierosolymis. Nunc ubiq; sacrificatur Deo spiritualiter Mal. 1. Joh. 4, 23.*

*Ad 2. Petrus ibi planè de peregrinationibus non agit ut ridiculum sit, cum pro admirari usurpetur; uti Beda interpretatur & Syrus habet itidem & Hieronym. in Com. in c. 4. Amosi legit. Tertull. in Scor-*

Scorpiac. cap. 12. & Fulgent. c. 2. ad  
 Thrasimundum c. 2. pro expavescere. Et  
 sensus est quod fideles non persecutionibus  
 tanquam re peregrina & insolita offendere  
 debeant, quia valde est antiquum electos  
 Dei vitæ præsentis adversa pro æterna sa-  
 lute tolerare, uti & Glossa inquit: si patie-  
 mini servorum tribulationum non ideò  
 putetis vos esse exules à membris Christi &  
 nolite mirari de illatis malis.

Ad 3. Concedimus posse institui, absq̃  
 opinione tamen meriti, & ita discipuli pro-  
 pter maiorem nõ ad adorantum abierunt.

Neq̃ Emmauntam discipuli peregrinan-  
 di animo abierunt, sed recreandi & tan-  
 tum iter sabbathi, uti licitum erat, rur-  
 sumq̃ eo ipso die reversi. Quin potius con-  
 trarium exinde colligendum ipsos à loco  
 sancto qualis putabatur Hierosyma, abiisse  
 quam ad loca sancta.

Ad autoritatem Chrysostomi responde-  
 mus Fall. conseq. Est facti, non juris. Et  
 Chrysostomus loquitur de peregrinationis  
 politicis dum contemplati fuerunt loca,  
 unde

unde ipse inquit: Non Hierosolymis fuisse  
 sed Hierosolymis bene vixisse laudandum  
 Est quod Gratianus allegat c. gloria c. 12.  
 q. 2. Inde & Bernh. serm. 1. de adventu:  
 Non oportet, o homo, maria transvolare,  
 non penetrare nubes, non transalpinare, id  
 est Romam ire necesse est. Nam grandis,  
 inquam, tibi ostenditur via, usq; ad te-  
 metipsum occurre Deo tuo. Idem habet  
 Epist. 11. 9 ad Lillertum.

Ad 5. Jura Canonica. P. P. Nam cum  
 contra scripturam, si opinio meriti accedit  
 non audienda. Quin contra eadem sunt  
 c. Non loca dist. 40. Ubi habetur non  
 loca vel ordines creatori nostro nos proxi-  
 mos faciunt, sed nos aut merita bona con-  
 jungunt aut mala disjungunt & c. Multi  
 ibid. ex Chrysoft. locus non sanctificat  
 hominem, sed homo locum c. illud. dist.  
 eadem.

Deniq; ad aliud, pœna, exilium, quæ  
 peregrinatio necessaria, alia voluntaria  
 Gerh. de fide Cathol. lib. 2. part. 2. uni-  
 CO 10. c. 51.

**I**Bant discipuli bini, quos cura coquebat,  
Emaunta, situm non procul urbe locum.  
Mutuus hic sermo cunctis de rebus, ut ipse  
Contigerant, paucos scilicet ante dies,  
Ecce fit ut secum disceptant atq; loquuntur,  
Accessit Iesus, ceu comes unus, sis.  
Non tamē eiusdempoterant cognoscere vultum  
Quippe tenebatur lumen utriq; quasi.  
Ecquis, ait, sermo vester modo mutuus? ecquid  
Tam tristes? Quare pectora mœror habet?  
Huic Cleophas: solus Solymus peregrinis in istis  
Ignoras factum quid sit in hisce locis?  
Ipsus ait qua sunt? Iesus erat ille Propbeta,  
Respondent, factis & simul ore potens.  
Huncce sacerdotes nostri damnare nefanda,  
In fœdaq; simul ligna tulere crucis.  
Spes erat ut nobis populum venisse redemptum  
Et nunc dum factum tertia lapsa dies,  
Quin Mulier sociata suis nos terruit ante  
Lucem, qua, Christum prompta videre fuit.  
Nil tamen invenerē, sed angelus unus & alter  
Visus, qui Iesum vivere dixit, ibi.  
Et simul ex nostris, abiēre videre sepulchrum,  
Invenere, velut dixerat illa, locum.  
Tunc dixit Iesus: O stultos, credere tardos  
Talia! qua vates præcinnere sacri.  
Debit ista pati, juxta præfagia Iesus  
Ac intrare suum mactus honore thronum.  
Infirmus

In simul in cepit: Mosen & singula Vatens  
Enucleat, de se qua sacra scripta docent  
Inter at haec propriis veniunt Emanatis ad urbem  
Qui simulat quasi vel longius ire velit.  
At cogunt, dicuntque mane, quia vespera praesens  
Nobiscum, pergunt quo remaneret ibi.  
Quid sit? ut accumbit pani benedixit, eumque  
Fregit & hic partem promittit utrique suam.  
Talibus en cito sunt oculi bene rursus aperti.  
Visus at hanc oculis amplius ipse tamen  
Tunc dicunt, loqueretur ubi, na corda flagra-  
bant.

Panderet & vatum mystica verba comes  
Hinc subito surgunt Solymas curruntque vicissim  
Unde nos socios inveniuntque suos.  
Qui referunt: verè Dominus surrexit IESUS;  
Simoni vultus obtulit ipse suos.  
Hi quoque narrarunt quod contigit inter eundem  
Notus & ex fracto pane quod ipse foret.  
Ab simul & nos felices qui vivere Christum  
Credimus, & pariter quid sacra scripta fe-  
runt.

Talia CHRYSIUS proponit. Talia curet.  
Natali IESU cura placere solet.

optat

GUEINZII S.

02 A 572  
(1/2)

ULB Halle 3  
003 808 483



10 17


EVANG.

CHRIST

HALL

Q2 C






B.I.G.

Farbkarte #13

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Cyan Blue



VITIARUM  
 GELICARUM  
 TIVALIUM  
 isquisitio XII.  
 PRÆSIDE  
 ANO GUEINZIO  
 mnasii Hallensis  
 Rectore  
 Respondente  
 MARTINO CHURISIO  
 Caloviâ Lufato  
 A II. PASCHATOS  
 .O. R. cl. lcc. III.  
 LLIS SAXONUM  
 Hæredum Melchioris  
 Oelschlegell.